

585    Questa diū sēcum, sīc est adfāta Tonantem  
           (māximaque in vultū | sīgna dolentis erant):  
       ‘Sī memor es dē quō mihi sit Prōserpina nāta,  
           dīmīdium cūrae | dēbet habēre tuae.  
 Orbe pererrātō sōla est iniūria factī  
 590    cōgnita: commissī | praemia raptor habet.  
 At neque Persephonē dīgna est praedōne marītō,  
           nec gener hōc nōbīs | mōre parandus erat.  
 Quid gravius victōre Gygē captīva tulissem  
           quam nunc tē caelī | scēpra tenente tulī?  
 595    Vērūm impūne ferat, nōs haec patiēmur inultae;  
           reddat et ēmendet | facta priōra novīs.’  
 Iuppiter hanc lēnit, factumque excūsāt amōre,  
           ‘Nec gener est nōbīs | ille pudendus,’ ait;  
       ‘Nōn ego nōbilior: posita est mihi rēgia caelō,  
 600    possidet alter aquās, | alter ināne chaos.  
 Sed sī forte tibī nōn est mūtābile pectus,  
           statque semel iūctī | rumpere vincla torī,  
 hoc quoque temptēmus, siquidem iēiūna remānsit;  
           sī minus, īfernī | coniugis uxor erit.’  
 605    Tartara iussus adit sūmptīs Cādūcifer ālīs,  
           spēque redit citius | vīsaque certa refert:  
       ‘Rapta tribus,’ dīxit, ‘solvit iēiūnia grānīs,  
           Pūnica quae lentō | cortice pōma tegunt.’  
 Nōn secus indoluit quam sī modo rapta fuisset  
 610    maesta parēns, longā | vixque refecta morā est  
 atque ita: ‘Nec nōbīs caelum est habitābile,’ dīxit;  
           ‘Taenariā recipī | mē quoque valle iubē.’  
 Et factūra fuit, pactus nisi Iuppiter esset  
           bis tribus ut caelō | mēnsibus illa foret.  
 615    Tum dēmum vultumque Cerēs animumque recēpit,  
           imposuitque suae | spīcea sēta comae:  
 largaque prōvēnit cessātīs messis in arvīs,  
           et vix congestās | ārea cēpit opēs.  
 Alba decent Cererem: vestēs Ceriālibus albās  
 620    sūmite; nunc pullī | velleris ūsus abest.